

boum, & grex ovium possint etiam spiritaliter intelligi. Sed nunc ad rem non pertinet ista tractatio. Si autem in ipso novo Testamento, cujus præmium & hæreditas ad novum hominem pertinet, tamen & Dominus iisdem ipsis, quos vult esse rerum temporalium contemptores, ut in Evangelio sibi serviant, promittit multiplicationem earundem rerum in hoc sæculo, dicens, quòd accipient in hoc sæculo centies tantum, in sæculo autem venturo vitam æternam: sicut etiam in veteri Scriptura dicitur: *Fideli homini totus mundus divitiarum est*; unde exultat Apostolus dicens: *Quasi nihil habentes, & omnia possidentes*: si ergo in novo Testamento præter æternam possessionem, quæ promittitur sanctis, hujus quoque possessionis quæ transitura est, multiplicatio non subtrahitur, & tanto fit uberior, quanto contentius possidetur: quanto magis in veteri Testamento carnalis populi præmia talia esse debuerunt, ipso tamen uno & vero Deo gubernatore omnium temporum omnia pro tempore moderante, & administrante?

47. Sed ne in solis novi Testamenti libris isti arbitrentur hæc esse contempta, audiant Prophetam abjicientem talem felicitatem, & ad unum Dominum Deum confugiendum esse, cantantem. Ita enim dicit: *De gladio maligno erue me, & exime me de manu filiorum alienorum; quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis. Quorum filii ipsorum velut novellæ constabilitæ in juventute sua. Filia eorum compositæ, & ornata velut similitudo templi. Cellaria eorum plena, eructantia ex hoc in hoc. Oves eorum fecundæ, multiplicantes in exitibus*

Matth. 19.
29.

Prov. 17.
sec. LXX.
2. Cor. 6.
16.

Psal. 143.
11. &c.

bus suis, boves eorum crassæ. Non est ruina sepi, nec exitus, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt, beatus populus cujus Dominus Deus ipsius. Adtendant ergo quomodo irrideatur ista felicitas in hominibus impiis, & tota beatitudo in Deo solo inconcussa figuratur. Illi enim dicunt beatum populum cui hæc sunt, sed beatus populus cujus est Dominus Deus ipsius. Quòd autem etiam illud contrarium esse putaverunt huic loco veteris Testamenti, quod Dominus ait: *Omnis qui confusus fuerit me, aut verba mea in gente ista adultera & peccatrice, & filius hominis confundetur illum, cum venerit in gloria Patris sui & laude sanctorum*; quid pertineat ad contemptum rerum temporalium non video. Quòd si propterea pertinet, ne aliquis territus de talium rerum damnis, Christum confiteri aut erubescat, aut timeat, quid habent quod dicant? Dicimus ita esse ista munera Dei, ut tamen sint infima, & in comparatione salutaris confessionis, non solum amittenda, sed ultrò etiam projicienda: carnalibus tamen hæc amantibus, & nondum capientibus promissa cælestia, ne ab idolis & dæmonibus ista peterent, utiliter à Domino Deo esse pollicita.

48. DE eo quod scriptum est in Lege: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et: *Væ vobis divitibus, quia percepistis consolationem vestram.* Sed cur nolunt & alia in Evangelio contueri? Ubi enim scriptum est: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

Marc. 8.
38.

Matth. 5.3.

Luc. 6.24.

CAP. XIX.

Matth. 5. 4. *nam ipsorum est regnum cælorum; ibi sequitur: Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram.* Ecce habent amicos Dei hæreditate terræ divites fieri. Cum autem ad tantam egestatem dives ille redigitur, ut ab eo paupere quem neglexerat, digito brevi in aqua tincto arenti linguæ suæ humorem stillari deprecetur, intelligant, quomodo fiant pauperes inimici Dei, & id esse cognoscant quod in Lege scriptum est: *Ego sum qui divitias do amicis meis, & paupertatem inimicis meis.*

Luc. 16. 24. 49. Nam istas divitias temporales & in veteri Scriptura esse contemptas, & superiùs docui, & innumerabilibus locis qui legere voluerit, inveniet. Unde est etiam illud: *Melius est modicum justo super divitias pecutorum multas.* Et illud: *Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti.* Et illud: *Judicia Dei vera justificata in a idipsum, desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum.* Et illud: *Beatus vir qui invenit sapientiam, & immortalis qui videt prudentiam.* Melius est enim illam mercari, quàm auri & argenti thesauros. Pretiosior est autem lapidibus optimis, non resistit illi ullum malum, bene nota est omnibus appropinquantibus ei, & eis qui considerant eam diligenter. Omne autem pretiosum non est illi dignum. Et illud: *Propter hoc optavi, & datus est mihi sensus, & invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ. Et præposui illam b regnis & sedibus, & honesta-*

^a Editi, in semetipsa. Quidam verò MSS. in idipsum: quam lectionem sequi solet Augustinus.

^b Omnes MSS. regimoniis. Græcè est, οὐκ ἴστανται.

tatem nihil esse duxi ad comparationem ipsius. Nec comparavi illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tamquam lutum æstimabitur argenti ad illam. Hæc isti si aut legerent, aut non impiè legerent, viderent omnia in utriusque Testamenti Scripturis, & ad expetendum & ad fugiendum, & ad sumendum & ad rejiciendum sibi concordantia, & suis gradibus ordinata.

50. DE eo quod scriptum est in Lege: *CAP. XX. Si ambulaveritis in lege, & præcepta mea Levit. 26. custodieritis, dabo pluvias tempore suo, & 3. Sc. producet terra fructus suos, & arbores pomæ, & vindemiæ tuæ messibus succedent, & satio vindemiis: & saturabimini, & sedebitis in pace in terra vestra, & dormietis, & non erit qui vos terreat: & perdam omnem belluam ex terra vestra; & persequimini inimicos vestros, & cadent ante vos in gladio: & insequentur quinque ex vobis centum, & centum ex vobis persequentur decem millia, & concident inimici vestri ante vos in gladio: & veniam, & benedicam vos, & multiplicabo vos, & disponam vos. Manducabitis vetus quod inveteravit, & projicietis vetus ante novum.* Jam neminem oportet postulare à nobis, ut hæc ostendamus quàm congruenter illi populo Deus promiserit. Multa enim de hac re diximus, & cui parva sunt, nimis tardus est. Sed tamen quod etiam huic loco de novo Testamento dicunt esse contrarium, illud videlicet quod Dominus ait: *Nolite portare aurum, neque argentum, neque nummos in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calciamenta, neque virgam; dignus est enim*

Matth. 10. 9. & 10.

enim operarius mercede sua; quid mirum si hæc Evangelistis donaverit? Numquid in hoc ministerium populus judaicus vocabatur? Quæ tamen omnia spiritualiter perscrutanda sunt, ne ipse Dominus hominibus impiis contra sua præcepta fecisse videatur, qui etiam loculos habebat, quibus ad necessarium victum pecunia portabatur. Nisi fortè dicturi sunt, in zonis habere pecuniam, peccatum esse; in loculis autem, non esse peccatum. Non autem ista jussa, sed permessa esse Apostolis, ex hoc intelligitur, quòd Apostolus Paulus manibus suis operatus victum quærebat, non abusus ea potestate, sicut ipse loquitur, quam Dominus Evangelistis dedit. Quod enim permittitur à Domino, etiam non facere licet: quod autem jubetur, nisi fiat peccatum est.

§ 1. Addunt etiam de illo divite, cui Deus dixerat: *Stulte, hac nocte à te animam tuam expetam; quæ autem præparasti, cujus erunt?* et dicunt non minùs huic capitulo Legis esse contrarium: cùm in isto inanitas irrita sit vanæ lætitiæ, qui incerta illa pro certis habuit; populo autem Israël certam faciebat illam pollicitationem omnipotentia pollicentis. Unde Apostolus Paulus scribens ad Timotheum, de divitibus sæculi hujus, quos noverat in Ecclesiæ membris habere suum locum, ita loquitur: *Divitibus hujus sæculi præcipe, non superbè sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum: benefaciant, divites sint in operibus bonis, faciliè tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Quis hîc non intelligat, non esse culpabile ha-

Joan. 12.
6.

Act. 18. 3.

1. Cor. 4.

12.

1. Thess. 2.

9.

2. Thess. 3.

8. & 9.

Luc. 12. 20.

1. Tim. 6.

17. &c.

habere ista, sed amare, & spem in eis ponere, & ea præferre, aut etiam conferre veritati, justitiæ, sapientiæ, fidei, bonæ conscientiæ, caritati Dei & proximi, quibus a omni-^a bus anima pia dives est in secretis suis coram oculis Dei? Sed ut diligatur Deus, qui diligentibus se ista cuncta & invisibilia & æterna largitur, id est, se ipsum his omnibus plenum donat dilectoribus suis: ut ergo ipse diligatur, illo etiam tempore quo carnalis anima, carnis videlicet affectibus implicata, nisi temporalia desiderare non novit, persuadendum illi est, quòd etiam ista Deus dat homini: quia & verum est, & utilissimè creditur. Hoc populo Israël factum est per illas pollicitationes, quas imperitissimè miseri derident, ut etiam in ipsis infimis rebus, quomodo possent, Deum diligere assuescerent, quamvis b plus ibi operetur timor. Quæ tamen omnia dona temporalia figuræ sunt donorum æternorum, & illa de inimicis victoria præsignat victoriam de diabolo & angelis ejus.

§ 2. Et quod isti adjecerunt quasi contrarium veteri Testamento, quod Apostolus loquitur, Deum non pugnâ & dissensione, sed pace delectari: sciant talem Deum prædicari in Scripturis illis, cui pacem suam nemo possit auferre: non qualem ipsi prædicant, qui timens ne irrueret bellum regionibus suis, membra sua longè misit, ut peregrina bella tollerent, & postea liberari atque purgari victa & inquinata non possent. In natura verò hu-

ma-

^a Aliquot MSS. *omnis anima.*

^b Ita Corbeiensis codex. At editi, *pridè.*

1. Cor. 14.
33.

mana, quæ peccato in inferiora defluxit, ita Deus pace delectatur, ut non relinquat libramenta justitiæ, nec pacem quam diligit velit calcari à peccantibus, sed amari à certantibus, apprehendi à victoribus, & ea carnalibus figurata promittere, spiritualibus aperta monstrare.

CAP. XXI.
Deut. 21.
23.

53. DE eo quod scriptum est in Deuteronomio: *Maledictus omnis qui in ligno penderit*. Licet sæpe à manichæis ista quæstio ventilata sit, non video tamen quid habeat huic sententiæ contrarium, quod ex Evangelio Adimantus opponendum putavit, ubi Dominus ait: *Si vis perfectus esse, vende omnia quæcumque possides, & divide pauperibus, & tolle crucem tuam, & sequere me*. Hic præter quàm quòd crucem nominat, nihil adtendit esse contrarium ei quod dictum est: *Maledictus omnis qui in ligno penderit*: quasi verò talem crucem possit quisque tollere, & sequi Dominum. Sed illa tollitur, cum sequimur Dominum, de qua dicit

Gal. 5. 24.

Apostolus: *Qui autem Jesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum passionibus & concupiscentiis*. Tali enim cruce vetus homo, id est, vetus vita perimitur, quam de Adam traximus, ut quod in illo fuit voluntarium, in nobis fieret naturale. Quod ostendit Apostolus dicens: *Fuimus & nos aliquando natura filii iræ, sicut & ceteri*. Si ergo vetus vita de Adam, unde & nomine veteris hominis vetus vita significatur; quid absurdum habet, quòd in veterem hominem maledictum prolatum est, quem Dominus suspendit in ligno? Quia ex ipsa successione mortalitatem gestavit, de virgine Maria mortali-

ter

Ephes. 2.
3.

ter natus, habens carnem non peccatricem, sed tamen similitudinem^a gerentem peccati; Rom. 8. 3. quia mori poterat, & mors de peccato est. Unde etiam est illud: *Scientes quia vetus homo noster simul confixus est cruci cum illo, ut evacuetur corpus peccati*. Non ergo Dominus per linguam Moysi famuli Dei, sed mors ipsa meruit maledictum, quam Dominus noster suscipiendo evacuavit. Mors itaque illa pependit in ligno, quæ per mulierem ad hominem serpentina persuasionem pervenit. Unde etiam serpentem, ad significationem ipsius mortis, Moyses in eremo exaltavit in ligno. Et quoniam à mortiferis cupiditatibus per fidem sanamur crucis Domini, qua cruce mors ligno suspensa est: propterea qui serpentum morsibus venenabantur, conspecto serpente, qui fixus erat atque exaltatus in ligno, continuo sanabantur. Huic sacramento ipse Dominus adtestatus est dicens: *Sicut enim Moyses exaltavit serpentem in eremo, ita exaltari oportet filium hominis*. Suscipiendo autem ignominiosissimum apud homines mortis genus Dominus noster Jesus Christus, hoc est, mortem crucis, commendavit nobis dilectionem suam, ut merito Apostolus diceret, accendens nos in ejus caritatem: *Christus nos redemit de maledicto Legis factus pro nobis maledictum*. Scriptum est enim: *Maledictus omnis qui pendet in ligno*. Ut non solum nullam mortem, sed etiam nullum mortis genus christiana libertas, sicut judaica servitus, formidaret.

54. DE homine quem lapidari Deus justit, qui sabbato inventus est ligna collige-

CAPUT
XXII.
Num. 15.
rè. 35.

^a Corb. cod. similitudinem gerentem carnis peccati.

Matth. 12. 10. re. Dominus in Evangelio ubi hominis manum aridam sanavit die sabbati, divinum opus fecit, non humanum; nec ab otio recessit, qui jussit, & factum est. Et ideo non est simile hoc factum ligna colligenti, quod facere cum inventus esset homo die sabbati, jussu Dei lapidatus est. De servili autem observatione sabbati, & de vindicta temporalis mortis, jam multa dicta sunt. Sicut enim tempore caritatis bonitas, sic tempore timoris severitas Dei maximè commendatur. Et cum adhuc non oporteret ante adventum Domini nudare populo legitimatum sacramenta figurarum, non invitabantur significata intelligere, sed jussa cogebantur implere: nondum enim Deo inhærebant per spiritum, sed per carnem legi serviebant. Miror autem, quod isti plangunt lapidatum hominem Dei præcepto, quia contra jussum Legis ligna collegit, & non plantant arborem arefactam verbo Christi, quæ contra nullam præceptum fecerat; cum talem animam arboris esse credant, qualem hominis.

Matth. 21. 19.

CAPUT
XXIII.
Ps. 127.
3. & 4.

55. DE eo quod scriptum est: *Mulier tua sicut vinea frondescens, & filii tui ut novella olivarum in circuitu mensæ tuæ, & videbis filios filiorum tuorum; & scies quia hoc modo benedicitur homo, qui timet Dominum.* Hoc per Prophetam figuratè dictum, & ad significationem Ecclesiæ pertinere manichæi non intelligunt, & putant contrarium esse quod in Evangelio Dominus de spadonibus ait, qui se ipsos castrant propter regnum cælorum. Sed nos jam & de viro, & de uxore, & de spadonibus, quantum satis fuit, in tertio capitulo disseruimus.

CAPUT
XXIV.

56. DE eo quod scriptum est apud Salomonem:

nem: *Imitare formicam, & intuerere diligentiam ejus, quia ab æstatis tempore usque ad hyemem colligit sibi alimonias.* Neque hoc intelligunt manichæi spiritualiter esse accipiendum, & putant præceptum esse ut thesaurizemus in terra, aut etiam curemus hæc horrea, quæ sine ullo præcepto multum homines implere festinant. Et ideo illud Adimantus ex Evangelio dicit adversum esse huic sententiæ, ubi Dominus ait: *Nolite cogitare de crastino.* Sed neque hoc intelligunt ad id pertinere, ut temporalia non amemus, neque timeamus ne nobis desint necessaria, & propter ipsa conquirenda vel Deo vel hominibus serviamus. Nam si hoc ideo dictum est, ut non servetur panis in crastinum, magis hoc implent vagi romanorum, quos a Passivos appellant, qui annonam quotidianam satiato ventre, aut donant statim quod restat, aut projiciunt; quam vel Domini discipuli, qui etiam cum ipso Domino cæli & terræ in terra ambulantes loculos habebant; vel Paulus Apostolus, qui omnium terrenorum contemptor, sic tamen gubernavit ea quæ præsentis vitæ erant necessaria, ut etiam de viduis præceperit dicens: *Si quis fidelis habet viduas, sufficienter tribuat illis, ut non gra-*

Prov. 6.6.

Matth. 6.

34.

I Tim. 5.

16.

TOM. II.

BB

ve-

a Vaticanus codex, *Passiones*. Melius alii MSS. cum editis, *Passivos*. Vox est Afris præsertim scriptoribus familiaris, significans hic loci vagum, inconstans, & vile hominum genus. Sic Tertullianus lib. contra Valentinum. *passivos discipulos* vocat passim vagos, nec uni magistro addictos. Et lib. I. contra Marcionem. *passivum convictum* dicit indifferentem & promiscuum. Et lib. I. ad uxorem, *licentiam passivam*, id est, vagam & indifferentem: quo etiam sensu apud Hieronymum in Ezech. 16. legitur *passiva libido*. In Concilio Carthaginensi I. cap. 8. dicitur *Communio passiva*, id est, indifferens. Et ibidem cap. II. *passiva corpora*, id est, quælibet.

vetur Ecclesia, quò veris viduis sufficere possit. Sed tamen illud de formica ita positum est, ut quemadmodum illa æstate colligit unde in hyeme pascatur, sic unusquisque christianus in rerum tranquillitate, quam significat ætas, colligat verbum Dei, ut in adversitate & tribulationibus, quæ hyemis nomine significantur, habeat unde spiritaliter vivat. Non enim in pane solo vivit homo, sed in omni verbo Dei. Si autem hoc eos movet, quòd in terra condit formica quod colligit; irascantur etiam illi thesauro, quem Dominus in agro dicit inventum.

Deut. 8. 3.
Matt. 4. 4.

Matth. 13.
44.

CAP. XXV.
Osee 9. 14.

57. DE eo quod scriptum est in Osee: *Da illis ventrem vacuum, & ubera arida: mortifica semen ventris ipsorum, ne pariant.* Et hæc prophetica locutio est utique figurata. Nam & ventrem non carneum intelligunt

Joan. 7.
38.

1. Cor. 3. 2.

1. Thess. 2.
7.

Gal. 4. 19.

in Evangelio, cum legunt: *Flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus.* Et ubera quædam habebat Apostolus, cum diceret: *Lac vobis potum dedi, non escam.* Et iterum:

Matt. 22.
30.

Factus sum parvulus in medio vestrum, tamquam si nutrix fovens filios suos. Et Galatas ad carnalia declinantes iterum parturit, donec Christus in eis formetur. Et ideo huic propheticae sententiæ non repugnat quod Adimantus posuit ex Evangelio, quòd: *In resurrectione à mortuis, neque nubent, neque uxores ducent, neque morientur, sed sunt ut Angeli Dei.* Nam hoc est utique quod accipiunt etiam spadones, de quibus Isaias

Isai. 56.
5.

loquitur: *Locum nominatum multo meliorem filiorum & filiarum, nomen æternum dabo eis,* inquit. Non ergo isti arbitrentur in solo Evangelio tale præmium promitti sanctis: ventremque vacuum, & ubera arida, &

mor-

mortificatum semen, ne pariant, intelligant de his esse dictum, de quibus dicit Apostolus: *Sicut enim Jamnes, & Iambres resistunt Moysi, sic & isti resistunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem: sed ultra non proficient; dementia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit.* Cum ergo ultra non proficient, tunc habebunt ventrem vacuum, & ubera arida, & mortificatum semen. In qua sententia se isti tamquam in speculo dignentur inspicere.

2. Tim. 3.
8. & 9.
a

58. DE eo quod scriptum est in Amos Propheta: *Si fieri potest, ut ambulantes duo in via, minime se agnoscant, & leo sine præda ad catulum suum revertatur; si decidet avis sine aucupe in terram; si tendunt muscipulam sine caussa, ut nihil capiant; si dabit sonum tuba in civitate, ut plebs non terreatur: ita etiam malum aliquod in civitate non perpetratur, quod Dominus non faciet.* Malum hoc loco non peccatum, sed poena intelligenda est. Duppliciter enim appellatur malum, unum quod homo facit, alterum quod patitur: quod facit, peccatum est; quod patitur, poena. De poenis ergo loquebatur Propheta, cum hoc diceret. Divinam enim providentiam cuncta moderante & gubernante, ita homo male facit quod vult, ut male patiatur quod non vult. Sic autem isti accusant Prophetam ista dicentem, quasi in Evangelio non legerint: *Nonne duo passereres asse veneunt, & unus ex his non cadit in terram sine Patris vestri voluntate?* Ita ergo Deus malum facit,

CAPUT
XXVI.
Amos 3. 3.
&c.

Matth. 10.
29.

BB 2

quod

a Sic MSS. juxta græc. Editi verò, & Mambres.

quod non ipsi Deo malum est, sed eis in quos vindicat. Itaque ipse quantum ad se pertinet bonum facit; quia omne justum bonum est, & justa est illa vindicta. Et ideo non est contrarium, quod Adimantus objicit dixisse Dominum: *Arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit.* Quamvis enim malum sit gehenna damnato, justitia tamen Dei bona est, & ipse fructus est ex arbore bona. Ille autem malis peccatorum suorum thesaurizat sibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua. Quamquam istæ duæ arbores manifestissime in similitudine duorum hominum positæ sint, id est, justi & injusti: quia nisi quisque voluntatem mutaverit, bonum operari non potest. Quod in nostra potestate esse positum, alio loco docet, ubi ait: *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum.* Illis enim hoc dicit, qui putabant se bona loqui posse, cum essent mali, hoc est, bonos fructus facere, cum essent arbores malæ. Sic enim & subjungit: *Hypocrite, quomodo potestis bona loqui, cum mali sitis?* Mala ergo arbor fructus bonos facere non potest: sed ex mala fieri bona potest, ut bonos fructus ferat. *Fuistis enim aliquando tenebræ,* inquit Apostolus, *nunc autem lux in Domino.* Tamquam si diceret: *Fuistis aliquando arbores malæ, & ideo non poteratis tunc nisi malos fructus facere: nunc autem lux in Domino,* id est, & jam facti arbores bonæ, date fructus bonos: quod sequitur dicens: *Sicut filii lucis ambulate: fructus enim luminis est in omni justitia & veritate: probantes quid*

Matth. 7.
17.

Rom. 2. 5.

I. Retr. 22.
Matt. 12.
33.

Ibid. 34.

Ephes. 5. 8.

quid sit bene placitum Domino. Nam & in ipso Evangelii capitulo, si non studio malevolentia fugeret Adimantus, posset advertere, quomodo dicatur Deus malum facere. Ibi enim ait Dominus, quod etiam iste commemoravit: *Omnis arbor, quæ non facit fructus bonos, excidetur, & in ignem mittetur.* Hæc sunt mala quæ Deus facit, id est, peccatoribus poenas, quod in ignem mittet arbores, quæ in malitia perseverantes fieri bonæ noluerint, cum hoc ipsis arboribus malum sit. Deus autem, ut sæpè dixi, non dat fructus malos, quia justitiæ fructus est vindicta peccati.

59. DE eo quod in Isaiâ propheta scriptum est: *Ego sum Deus qui facio pacem, & constituo mala.* Etiam hoc eadem regulâ solvitur. Non enim reprehendit Adimantus quod dixit Deus, *facio pacem*: sed quod dixit, *constituo mala.* Cum Paulus Apostolus hæc duo similiter uno in loco etiam latius tractaverit dicens: *Vides ergo bonitatem & severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris, & illi si non permanserint in incredulitate, inserentur: potens est enim Deus iterum inserere illos.* In hoc sermone apostolico satis apparet bonitas Dei, secundum quam dixit Isaias: *Ego sum Deus, qui facio pacem*: & severitas secundum quam dixit, *constituo mala.* Simul etiam ostendit * in nostra potestate esse, ut vel inseri bonitate ipsius, vel excidi severitate mereamur. Non ergo est Isaiæ contrarium Evangelium, sicut putat, vel potius putari cupit Adimantus, ubi Dominus ait: *Beati pacifici, quia filii Dei vocabuntur.* Vel ex ipsa enim parte debuit agnoscere, etiam Isaiam scire filios Dei esse

Matth. 7.
19.

CAPUT
XXVII.
Isai. 45. 7.

Rom. 11.
22. & 23.

* I. Retr.
22.

Matth. 5.
9.

Isai. 45. 7. pacificos, quia per eum dixit Deus: *Ego sum qui facio pacem*. Sed cum in alia parte ad male intelligendum oculum fixit, in altera se ipse excæcavit. Quod si vellet alius similiter cæcus dicere bonum esse vetus Testamentum, ubi dicit Deus: *Nolo mortem peccatoris, quantum ut revertatur & vivat*: malum autem esse novum Testamentum, ubi dicit Christus: *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & angelis ejus*; nonne in foveam cadens, omnes qui se sequerentur, indoctos & a Scripturarum ignaros, in imperitiæ cæcitatem germinante malitiâ secum pariter præcipitaret? Qui autem oculo pio legit, & in novo Testamento invenit, quod isti accusant in veteri, & in veteri quod laudant in novo.

CAPUT
XXVIII.
Isai. 6. 1.
& 2.

60. DE eo quod scriptum est in Isaia: *Et factum est eo anno quo mortuus est Ozias rex, vidi Dominum sedentem in sede altissima, & plena erat domus gloriæ ipsius, & in circumitu Seraphim stabant, senas alas habentes, & binis quidem operiebant faciem ipsius, binis verd pedes*. Huic loco illud opponit Adimantus, quod ait Apostolus: *Regi autem sæculorum invisibili honor, & laus in sæcula*. In qua quæstione quærendum est, quid ei visum fuerit, vel in illa visione Isaiaë binas alas prætermittere, quibus volabant Seraphim, dicentes: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth*; vel in Apostoli verbis non totum dicere? Nam ita dicit Apostolus: *Regi autem sæculorum invisibili, incorruptibili, soli Deo honor, & gloria in sæcula sæculorum*. An fortè timuit ne Trinitatis commemoratio commendaret Prophetam

a Victorinus MS. & unus è Vaticanis, *geminante*. Alter Vaticanus codex, *ginnente*. Corbelensis, *geminantem*.

tam lectori, & aliquid magnum ibi latere suspicaretur? Ter enim dicitur: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth*. In Apostolo autem fortè vidit, quod si dixisset, *incorruptibili Deo*; responderetur illi quod nunc istis dicimus: Quid ergo incorruptibili Deo factura erat gens tenebrarum, si cum ea pugnare nolisset? Aut si fortè mendosos eodices legerat, aut iste mendosus est, ubi nos ipsum Adimantum legimus, non est diutius de re dubia disserendum. Sed jam quærendum est, quomodo & Propheta dixerit vidisse se Deum in sede altissima, & Apostolus Paulus verum dixerit, invisibilem Deum. Interrogo itaque istos, utrum invisibilia possint conspici. Si dicunt posse; quid ergo calumniantur, si Deum invisibilem Propheta conspexit? Si autem dicunt non posse; ipsi Apostolo potius calumniantur, si audent, qui ait: *Invisibilia enim Dei à constitutione mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*. Ipse enim dixit esse invisibilia, & ipse rursus dicit, *conspiciuntur*. Nonne hîc coguntur fateri oculis corporeis esse invisibilia, menti verò esse visibilia? Sic igitur & Propheta Deum, qui corporaliter invisibilis est, non corporaliter, sed spiritualiter vidit.

61. Nam multa genera visionis in Scripturis sanctis inveniuntur. Unum secundum oculos corporis, sicut vidit Abraham tres viros sub ilice Mambre, & Moyses ignem in rubo, & discipuli transfiguratum Dominum in monte inter Moysen & Eliam: & cetera hujusmodi. Alterum secundum quod imaginamur ea quæ per corpus sentimus: nam & pars ipsa nostra cum divinitus assumitur, multa revelantur, non per oculos corporis, aut aures, aliumve sensum carnalem, sed tamen his

Varia genera visionum.
Gen. 18. 1.
Exodi 3. 2.
Matth. 17. 2.

Act. 11. 5. his similia, sicut vidit Petrus discum illum submitti è caelo cum variis animalibus. Ex hoc genere est etiam istud Isaia, quod imperitisimè impii reprehendunt. Non enim Deum forma corporea circumterminat: sed quemadmodum figuratè, non propriè, multa dicuntur, ita etiam figuratè multa monstrantur. Tertium autem genus visionis est secundum mentis intuitum, quo intellecta conspiciuntur veritas atque sapientia: sine quo genere illa duorum quae prius posui, vel infructuosa sunt, vel etiam in errorem mittunt. Cum enim ea, quae sive corporeis sensibus, sive illi parti animae quae corporalium rerum imagines capit, divinitus demonstrantur, non solum sentiuntur his modis, sed etiam mente intelliguntur, tunc est perfecta revelatio. Ex hoc tertio genere est visio illa, quam commemoravi, dicente Apostolo: *Invisibilia enim Dei à constitutione mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur.* Hac visione videtur Deus, cum per pietatem fidei, & per agnitionem Dei morum optimorum corda mundantur. Quid enim profuit Balthasari regi, quod manum scribentem ante oculos suos in pariete conspexit? Cui visioni quia non potuit adungere mentis adspectum, quarebat adhuc videre quod viderat. Tali autem acie luminis, qua ista intelliguntur, Daniel praeditus, mente vidit, quod ille viderat corpore. Rursus illa parte animi, quae imagines corporum capit, vidit somnium Nabuchodonosor rex; & quoniam non habebat idoneum oculum mentis ad melius videndum quod viderat, id est, ad intelligendum quod viderat, ideò ad interpretandum visum suum, adspectum quæsivit alienum, ejusdem scilicet Daniëlis; cui tamen aperienti ut certam accom-

Dan. 5. 5.

Dan. 2. 1.

Dan. 2. 26.

modaret fidem, etiam ipsum somnium ut sibi diceretur exegit. Daniel autem revelante sancto Dei Spiritu, & quid ille vidisset in somnis ea parte vidit qua corporum capiuntur imagines, & quid significaret mente conspexit. Non est autem Propheta veri Dei & summi, qui oblata divinitus visa, vel solo corpore, vel etiam illa parte spiritus videt, qua corporum capiuntur imagines, & mente non videt. Sed plerumque in Scripturis sic posita inveniuntur, quemadmodum visa sunt, non etiam quemadmodum intellecta sunt; ut mentis visio, in qua totus fructus est, exercendis lectoribus servaretur. Sed ex multis quae aperte sunt scripta, manifestatur nobis quomodo illa intellexerint, quae sic in libris posterunt, quomodo figuratè illis demonstrata sunt. Ad duo enim genera illa visionis pertinent figuratè demonstrationes: ad mentis autem, id est, ad intelligentiae visionem, simplex & propria pertinet revelatio rerum intellectarum atque certarum. Omnia tamen haec genera mirificis & ineffabilibus distributionibus exhibet atque moderatur Spiritus sanctus summæ incommutabilisque sapientiae. Sed isti miseri sunt qui calumiantur Prophetae dicenti, quod Deum viderit, objicientes apostolicam sententiam, ubi invisibilem dixit. Si enim alter objiciat huic apostolico verbo evangelicum verbum, quo Dominus ait: *Beati mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt;* quomodo respondebunt posse invisibilem videri? Verbo enim prenuunt imperitos, & quatenus invisibilis Deus dictus sit, etsi cognoscunt, cognosci timent. Tanta est pernicies animorum, qui cum vincere hominem volunt, ab errore vincuntur.

Matth. 5. 8.

IN

IN LIBRUM SUBSEQUENTEM.
LIBRI II.
RETRACTATIONUM
CAPUT LX.

^a Tunc ^a & Contra Mendacium scripsi librum, cujus operis ea causa existit, quod ad Priscillianistas hæreticos investigandos, qui hæresim suam non solum negando atque mentiendo, verum etiam pejerando existimant occultandam, visum est quibusdam catholicis Priscillianistas se debere simulare, ut eorum latebras penetrarent: quod ego fieri prohibens, hunc librum condidi. Hic liber sic incipit: *Multa mihi legenda misisti.*

^a Hinc intelligimus, subsequentem librum scriptum esse circiter annum Christi 420. Nam recensitis libris contra Adversarium Legis & Prophetarum, qui ad initium anni 420. pertinent, memoratisque proximo infra loco aliis, qui *per idem tempus* conscripti notantur, Contra Gaudentium libris, fit continuè istius operis mentio in hæc verba: *Tunc & Contra Mendacium scripsi librum.* De hoc ipso libro intelligendus Augustinus in Enchiridio capit. 18. ubi de difficillima & latebrosissima questione mendacii *grandem librum cum RESPONDENDI necessitas urgeret, se jam absolvisse* testatur. Consentium quod spectat, ad quem liber dirigitur, ejus est, nisi fallimur, epistola ad Augustinum 119. & ad ipsum sunt epistolæ Augustini 120. et 205. Vide notam ad epist. 205. in Præfact. tom. 2.

S.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI,
CONTRA MENDACIUM,
AD CONSENTIUM,
LIBER UNUS. *

*Scriptus
circiter an-
num 420.

Respondet Augustinus ad scripta, quæ ipsi consideranda misit Consentius, de adhibendo usu mendacii ad detegendos latentes Priscillianistas, qui se catholicos mentuntur: docetque nec mendaces per mendacia, nec blasphemos per blasphemias querendos esse. Refellit Priscillianistarum errorem illum, in Dictinii præsertim libro, cui titulus Libra, repertum, quo ipsi dogmatizant ad occultandam religionem religiosos debere mentiri. Quæ ex divinis libris in hujus erroris sui patrocinium testimonia proferunt, & exempla, contendit partim non esse mendacia, partim etiam quæ sunt, non esse imitanda. Solvit difficultatem de compensativis peccatis, ipsum quoque improbandum mendacium, quod ad tuendam salutem cujusquam, seu temporalem, seu æternam, utile ac necessarium videatur. Denique nunquam omnino mentiendum, in iis maxime rebus quæ ad doctrinam religionis pertinent, inconcussè tenere Consentium jubet, & adversus hæreticos defendere.

I. **MULTA** mihi legenda misisti, Con-
sen- CAPUT I.
Mendacis